

stro *Nic. Forlosia* solerter descriptam, et Lectiones varias ex eo decerptas, et characterum Specimen *Tab. I.* post p. 588. incisum deprehendet. Id unum addo, in *Herm. Treschowii Tentamine Descript. Codicum vet. aliquot Graecor. Bibl. Caes. Vindob. Havniae 1773.* p. 6. 8. characteres eos perperam aureos dici, neque de materia *Codicis* dubitari debuisse, ut *Blanchini p. supracit. 577.* factum video, cum membranae, quo vetustiores, eo etiam tenuiores, instar paene vesicae, reperiri soleant.

LXXXVI.

U. 14 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 160. f. luculente exaratus et, ut frons enunciat, olim testamento legatus domui Collegij ducalis wienne apud fratres predicatorum pro studio theologiae a *Thoma de Hafselsbach* ejus Prof. in *perichtoldsdorff* Plebano et *D. Stephani* Canonico, continet I. *Evangelium S. Matthaei* columna media lineis rarioribus Textum grandiuscule scriptum exhibente, adstituta utrinque *Glossa ordinaria*, et inserta *interlineari*, ut exemplum est in Bibliis glossatis impressis, e quorum Prologis etiam *Προλεγόμενα* Codicis nostri petita sunt.

II. *fol. 89.* alia, et quidem elegantiore manu, rubricisque distinctum sequitur *Evangelium S. Lucae* utraque pariter *Glossa* illustratum, sed lapsu temporis ali-

quot partibus multatum; folia enim 99. 100. 101. item 112 — 16. denique 152. et 153. manu Sec. XV. subpleta sunt, in qua saltem conatum laudes. *Προλεγόμενα* hic nulla; ad calcem vero adscriptus est *Hieronymi* Prologus, qui insit: *Lucas syrus natione antiochensis. arte medicus &c.* ut habetur in *Bibl. glossatis*, et alius *Locus*, quem ibi non reperi, hoc initio: *Lucas de omnibus que fecit ihesus et docuit &c.*

Ad convestiendum interne Codicem adhibitae sunt Membranae duae vetustissimi Exemplaris *Talmudici* in *Germania* scripti, quarum anterior ad *Tractatum* פסחא seu de *Paschate*, posterior ad *Tractatum* גטא seu de *Divortio* pertinet.

LXXXVII.

U. 11 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 94. f. per 3. columnas probe exaratus ita praenotatur: *Honorabilis vir dominus mathias puellmair de Grintling Presbiter frislingensis dioecess. hunc librum ad librariam collegij ducalis testatus est.* Complectitur vero *Evangelium Matthaei* columna media luculentiore, lineis ad recipiendam *Glossam* distantibus, et utrinque adstituta *Glossa ordinaria*, prout in *Editt. Bibliorum glossatorum* visitur. Capitum Numeri in summa ora minio indicantur. Praemissa sunt quaedam hinc inde e *Glossis* lecta de *Evangelio* in genere, et de *Sensu historico*, my-